Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 373
Quelle:
Copyright:

cius L. XVII. p. 45. non incongrue ἀπο τȣ Φαγειν ductum existimat. Obiter hic noto, *Raynero* in *Cod.* Monasterii *Dunens.* apud *Sanderum Bibl. Belg. Mss.* p. 204. etiam tribui *Pamphilum de Amore*, quem alii *Mauriliano* non mage cognito adscribunt; Poema item nostrum a *Sebast. Brand* teutonice versum utraque lingua prodiisse 1490. 4. Ad calcem *Cod.* nostri legitur: *Per me Hermannum de Ghele finitus est liber iste.*

XIII. *fol.* 163. *Disticha* Moralia in Subplementum *Catonianorum* olim sub nomine *Faceti Morosi* non semel edita cum Commentario. Initium hujus: *Quatuor sunt, que impediunt humane nature* &c. Distichorum:

Cum nichil vtilius humane credo saluti
Quam morum nouisse modos et moribus uti &c.

De aetate horum *Distichorum* inde statues, quod jam ab *Hugutione Pisano*, qui circa an. 1192. scripsit, adlegentur. De Autore ita Commentator noster: *Quidam dicunt quod fuit quidam religiosus existens lector austisensis* (sic) *Et nomine Johannes.* Commentarius vero a Nostro diversus, qui Editionem *Daventriens.* 1496. 4. illustrat, eum *Regentem Parisinum* facit, qui *Facetus* nominaretur. Adeo parum de Librorum Historia laborabant boni illi Majores. Qua in re *Senecae* plane verbis Commentator se noster tuetur: *Dummodo effectus sit bonus, non est curandum quis sit causa efficiens.* Ceterum Exemplar nostrum Distichorum numero et ordine non parum variat ab *Edit.* mox citata; Libellus vero ipse, uti praecedens, interpretem nactus est *Sebastianum Brand*, cujus Editiones indicantur a diligentissimo *Panzero* in *Annalib. vetustior. Literat. Germ. Norim.* 1788. 4.

XIV. *fol.* 180. p. 2. *Poema* Morale de Contemtu rerum terrenarum, Mortis Meditatione et Virtutum Exercitio, versibus hexametris rhythmicis, hoc initio:

Cartula nostra tibi mandat dilecte salutes.
Plura videbis ibi. si non mea dona refutes &c.

Carminum structura ita variat, ut Versus vel secum ipso vel cum socio ὁμοτελευτος sit, vel utraque haec consonantia in uno eodemque Disticho uniatur. Specimen secundi Modi jam dedi. En primi et tertii: